

ALBANVS THORINVS MEDICVS BASILIENSIS.



Albanus Vitoduri apud Heluetios natus & optimè educatus fuit, Anno circiter 1490. Is cum prima literarum fundamenta in patria fœliciter iecisset, sese ad Academiam Basiliensem contulit, atque Philosophiæ ac Græcæ & Latinæ linguae præclaram operam nauauit. In ijs etiam adeò profecit, ut omnium calculo 1532 artium Magister crea-
retur. Postea ad tempus ad S. Petrum scholæ præ-
fuit, & iuuentutem in primis artium rudimentis o-
ptimè instituit. Cum autem ad altiora respiceret,
post aliquot annos in Galliam profectus, Medi-
cinæ operam dedit, & in ea facultate Doctoralia in-
signia impetrauit. Inde Basileam reuersus, ob præ-
claram eruditionem inter eius Academię professores cooptatus, publicè Me-
dicinam docuit, atq; Galeni & Hippocratis dogmata magna laude exposuit.
In ea quoq; urbe & finitima regione Medicinam exercuit, & cunctis gratissi-
mus extitit.